

ipſi imperant. Certe in eo tantum vertitur cardo rei, ut, ſi domo hac diſcedere compellatur, infamiam ſubeat, aut extremam paupertatem. Penſandum autem, quod, ſi in ea & deinceps perleveret, certæ vix non damnationi ſeſe ſit expoſitura. Si ergo ejuſmodi commonitiones ac motiva, quorum plura adhuc charitas Chriſtiana conſeſſario ſuggeret, ipſam non moveant, ſine abſolutione dimittenda erit. C.B.

Vide *Communio*. Caſ. 29.

### PECCATUM RESERVATUM.

Vide *Casus reservati*.

### PENSIO ECCLESIASTICA.

1. *Pensio ecclesiastica* vocatur jus percipiendi partem fructuum ex alieno Beneficio. Ut jus hoc ſit legitimum, requiritur, ut ſit fundatum in vera indigentia penſionarij quantum ad illius ſuſtentionem, & inſuper nitatur autoritate ſummi Pontificis, qui ſolus licitam & canonicam poteſt reddere reſervationem partis fructuum ex aliquo Beneficio, dum dimittitur, vel alteri confertur. In quibusdam tamen ditionibus, velut in Gallia, non ſufficit ſola conceſſio Papæ, ſed requiritur inſuper autoritas regia.

2. Dum ſit reſignatio Beneficii, ut id propter utilitatem Eccleſiæ & boni publici unjatur alteri Beneficio, Episcopopus ſua duntaxat autoritate poteſt conſtituere penſionem in favorem reſignantis.

3. Olim penſio conſiſtebat in quibusdam fundis Beneficii, quorum uſumfructum Titularis cedebat penſionario. Hodie autem ſolvitur in parata pecunia, quod tam Titulari quam penſionario magis commodum eſt.

4. Regulariter loquendo omnis penſio in Beneficio aliquo conſtituta in favorem laici abuſiva eſt.

5. Papa non poteſt conſtituere penſionem in Beneficiis curatis, quæ ſunt juris Patronatus laicalis, ſine Patronorum conſenſu, & in Gallia neque in Episcopopatibus & Abbatibus abſque conſenſu Regis.

6. Penſionarius ob defectum ſolutæ penſionis non poteſt redire in Beneficium abſque ſententia in debitorem contumacem lata; quodcumque demum pactum inter contrahentes intervenerit. Quod ſi redierit, non poteſt amplius exigere debita ex penſione necdum ſoluta.

8. Supplicans in Curia Romana pro penſione ſibi conſtituenda, in ſupplicatione non tenetur exprimere, quod in alio Beneficio jam habeat conſtitutam ſibi penſionem, niſi ſit Religioſus. Si vero petitur penſio in Beneficio jam aliunde onerato alia penſione, in ſupplicatione debet fieri mentio primæ penſionis, ejuſque quantitas exprimi.

9. Quæcumque demum penſio conſtituatur in Beneficio quocumque, ſemper neceſſe eſt, ut Titulari remaneat congrua ſuſtentatio ab omni onere libera.

10. Annua penſio, cum conſideretur ut emolumentum mere temporalis, non poteſt permutari cum Beneficio.

11. Penſio non poteſt extingui per oblatam ſummam pecuniariam, niſi autoritate ſummi Pontificis: attamen ille, cui debetur penſio, libere eandem poteſt condonare.

CASUS I. Paſchafius & Germanus parochi ſuas invicem parochias permutare cogitant: redditus earum annui ſunt æquales; annoræ, aliarumque rerum ad ſuſtentionem neceſſariorum pretium in utroque loco idem: onera tamen in parochia Paſchafii ſunt notabiliter graviora, expenſæque majores faciendæ quam in parochia Germani; licet hiſcæ omnibus deſuſtis parochio adhuc reſidua maneat congrua ſuſtentatio. Motivum permutationis utrinque ſolum videtur eſſe, ut ſic uterque parochiam adminiſtrandam obtineret in loco natiſſimæ ſuæ. Poteſtne Germanus jam tranſiens ad parochiam graviorum onerum ſibi reſervare annuam penſionem a Paſchafio ſibi ſolvendam?

ꝑ. Omnis permutatio, quæ non ſit ex motivo primario ſalutis animarum & utilitatis Eccleſiæ, eſt illicita. Si ergo præfati duo parochi non ducantur motivo boni Eccleſiæ, ſed ſolum ſtimulo peculiaris affectionis ac commoditatis propriæ, non eſt ipsis permittenda permutatio, quæ foret contra canones ac mentem Eccleſiæ. Poſito etiam, quod hujuſce permutationis juſtæ rationes ac legitimæ afferri poſſent, non tamen tuta conſcientia Germanus poſſet exigere penſionem; quia etſi majores tunc ipſi expenſæ faciendæ forent, ſalva tamen ipſi perſtaret congrua ſuſtentatio: penſiones autem ſolum conſtituuntur in defectu congruæ ſuſtentionis, *Pontas*.

CASUS II. Bertrandus in Curia Romana obtinuit penſionem ex parochia, quæ quidem in titulum ipſi collata, nunquam tamen ab eo in perſona ſuit adminiſtrata. Poteſtne

ne tuta conscientia & sine scrupulo frui hac pensione, in sola auctoritate Pontificis fundata?

3. Cum nunquam administraverit hoc suum Beneficium, sola Papæ auctoritas non poterit ipsum eximere a peccato quoad pensionem sibi reservatam, quæ in nulla legitima causa fundatur. Ut quis absque peccato frui possit pensione ex Beneficio, satis non est, eam constitutam fuisse in Curia Romana; cum facile sit variis technis eam decipere, & dolo vigilantiam Pontificis supplantare: requiritur insuper, ut ea ex justa causa constituatur. Causæ autem justæ sunt, quas Concilia & Pontifices ut legitimas agnoverunt; ut dum resignans ex relicto Beneficio pensionem postulans absque hoc subsidio honeste vivere nequit, *subventionis causa*, ut formulæ supplicationum pro ejusmodi pensionibus sonant, & ne resignans nimium pateretur dispendium ex sua resignatione. Unde sequitur, sufficienti jam instructum Beneficio tuta conscientia frui non posse pensione ex alio Beneficio; *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Tim. 6. v. 8. Homini ecclesiastico ultra necessaria ad honestam vitæ sustentationem nil avide expetendum; cum eadem sit mens ac intentio Ecclesiæ, nunquam concedentis pensiones superfluas. *Pontas.*

CASUS III. Octavius Toparcha & Patronus cujusdam parochiæ, ad eandem præsentavit Juvenalem nepotem suum, Subdiaconum, & viginti quatuor annos natum. Juvenalis Beneficii possessionem adeptus illud ultra annum administravit per vicarium, nec tamen, ut tenebatur, presbyteratum suscepit. Timens tandem, ne per devolutionem ad alium collatorem jure suo & possessione excideret, resignavit illud huic ipsi vicario cum onere pensionis centum florenorum in Curia Romana constitutæ. Novus Titularis denuo renunciavit Beneficio in manus Episcopi cum novo instrumento præsentationis factæ ab Octavio in favorem Bernardi. Hic Beneficium possedit per triennium, per soluta quotannis Juvenali adhuc subdiacono pensione. Potuitne Juvenalis secuta conscientia sibi reservare hanc pensionem? Etposito, quod non potuerit, teneturne ad restitutionem hucusque perceptorum?

3. Cum Juvenalis nunquam obierit functiones parochi, non potuit sibi reservare pensionem; & quia valde verisimile est, quod Beneficium hoc acceptaverit absque intentione unquam exercendi functiones parochiales, sed solummodo ut possit percipere fructus, & per viam resignationis sibi procurare pensionem, non potest in tali casu excusari a peccato

cato

cato mortali; imo dicendum videtur, eum teneri ad restitutionem fructuum primo anno perceptorum. *Si promovetur ad sacerdotium non intendens*, inquit Bonifacius VIII. Cap. *Commisissa*. 35. Lib. 1. Tit. 6. in 6. *parochialem receperis ecclesiam, ut fructus ex eo per annum percipias, ipsam postmodum dimissurus (nisi voluntate mutata promotus fueris) teneberis ad restitutionem fructuum eorundem; cum eos receperis fraudulentè.* Dicendum insuper, quod absque manifesta injustitia non potuerit frui constituta pensione, quam nullo suo servitio aut parochiali ministerio promeruit. Etposito etiam, quod acceptasset parochiam animo exercendi munus parochi, non posset tamen acceptare pensionem; eo quod intra annum presbyteratum non receperit. Nec juvat in excusationem afferre auctoritatem Pontificis; quia ea sola in hac materia non sufficit, ut communiter docent Theologi ac Canonistæ. Leges canonicæ tres communiter rationes allegant, per quas a peccato excusatur, qui pensionem sibi reservat. *Prima* est, quæ dicitur *pro bono pacis*, id est, ut inter duos de Beneficio litigantes compositio fiat, & utilitas Ecclesiæ promoveatur. *Secunda* est, quando agitur de instituenda æqualitate inter Beneficium nimis tenue & notabiliter pinguius, & pensionarius vere indiget pensione ad honestam sustentationem. *Tertia* causa est necessaria sustentatio illius, qui præstito per longum tempus servitio suum jam dimittit Beneficium; & hæc causa ut legitima fuit agnita ab ipso generali Concilio Chalcedonensi. *Pontas.*

CASUS IV. Menander parochus, postquam insigni cum laude, zelo ac ædificatione per annum vel octodecim menses suæ deservisset parochiæ, resignavit eam Judæ. Sed cum aliunde non haberet, unde subsisteret, congruam sibi reservavit pensionem. Potuitne eam sibi reservare?

3. Secura conscientia non potuit, convenientem enim sustentationem non habere non est ratio, quæ sola possit sufficere ad reservandam sibi pensionem in Beneficio resignando; necesse est insuper, ut quis sat longo tempore in eodem ministraverit, & quidem a tempore Gregorii XIV. saltem per quinquennium. Non censetur Menander per tantillum temporis spatium adeo notabile Ecclesiæ exhibuisse obsequium, ut jure possit sibi aliquam fructuum portionem attribuere. Hinc querenda ipsi necessaria alimentatio alia via statui suo conveniente. *Pontas.*

NOTA. In Gallia omnino quindecim anni requiruntur in servicio Beneficii exantlati, ut quis pensionem sperare possit, neque ipsis Canonatibus exceptis.

CASUS V. Sophronius parochus administrato suo Beneficio per octo aut decem annos cum maxima ædificatione ac utilitate parochianorum usque adeo infirmatus est, ut plane inhabilis esset ad functiones parochiales obeundas. Cogitat ergo resignare parochiam, reservata sibi congrua pensione, maxime cum aliunde non habeat, unde sustentare se possit. Scit quidem peculiarem legem Provinciæ prohibentem ejusmodi pensionis reservationem ante quindecim annos præstiti in Beneficio servitii; incidit tamen in sacerdotem exemplaris vitæ ac extimæ scientiæ virum, qui resignata sibi parochia pensionem spondet certissime se persoliturum, lege non obstante. Potestne taliter resignare cum onere præstandæ sibi pensionis?

ꝑ. Potest in his circumstantiis absque ullo peccato. Legis enim ac legislatoris intentio nullatenus est privandi ejusmodi parochum, ut est Sophronius, solo & unico medio honeste sustentandi vitam suam, sed solum fordidissimam impediendi negotiationem, quam complures Clerici exercebant circa Beneficia curata, vel residentiam exigentia. Quin imo in præsentis casu pensio est omnino conformis menti Ecclesiæ. Pontas.

CASUS VI. Ludovicus Prior resignavit Beneficium suum 1500. florenorum redditibus pingue Salvio sub pensione 400 florenorum, reservatis sibi quoque domo Prioratus & horto, quem murus ambebat. Post sex menses Ludovicus petiit a Salvio 200. florenos, partem scilicet pensionis dimidiam pro primo anno, ommissa interim declaratione in foro ecclesiastico faciendâ, quod & domus & hortus constituant partem Prioratus. Prætendit jam Salvius, Ludovicum ob ommissam hanc formalitatem ipso jure amississe possessionem tam domus quam horti, ipsique desuper litem movet. Fatetur quidem Ludovicus, hanc declarationem omitti non posse, sed adhuc in tempore esse reponit, quo ea fieri possit. Teneturne Salvius in conscientia desistere ab actione Ludovico intentata?

ꝑ. Juxta S. Beuve Tom. 2. cas. 39. Salvius in rigore & in conscientia non tenetur desistere: Ludovicus enim tenebatur facere illam declarationem, antequam acceptaret partem suæ pensionis. Si nihil unquam percepisset ex pensione, valida semper fuisset ipsius declaratio, quocumque demum tempore fuisset insinuata. Decretum in Curia Ro-

mana

mana pro legitimo ejusmodi reservationum usu nunquam conceditur, nisi sub conditione faciendæ declarationis omnium ad Beneficium pertinentium. Ratio est 1. Quia plurimi interest, ut ex actis publicis pateat, hanc domum, hunc hortum, vel hos fundos reservatos pertinere ad Beneficium, quod resignatur: si enim clam avellerentur a Beneficio, evidens simonia vitaret contractum. 2. Quia hoc modo securius conservantur Ecclesiæ bona ad eam pertinentia. Pontas.

CASUS VII. Etherius parochus annorum septuaginta sex ætatem emensus, cum ultra viginti quinque annos suo deservisset Beneficio, adeo debilitatus ac viribus fractus est, ut ad labores parochiales inhabilis existeret. Hinc parochiam Blasio resignare cogitat, pacta sibi pensione, ex qua reliquo vitæ tempore subsistere valeret. Annuos redditus parochia parit 1200. florenos. Potestne sine læsione conscientiæ retinere pensionem annuam 750. florenorum, facta consideratione, quod residui 450. floreni videantur abunde sufficere resignatarlo, & aliunde etiam evidens sit, quod ob infirmitates suas, ætatemque decrepitam pensione hac non diu sit fruturus?

ꝑ. Si Etherius non habeat aliunde, unde vivat, potest absque ullo conscientiæ scrupulo sibi reservare pensionem, quæ tamen excedere non debet tertiam partem reddituum beneficialium. Nec Pontifex admittit ullam pensionem, nisi sub hac conditione: *Modo tertiam partem fructuum non excedat; alias præsens gratia nulla sit eo ipso.* Plus ergo Etherius non potest exigere, quam 400. florenos. Et licet Blasio commode satis posset vivere ex 450. florenis, constitueretur tamen in impotentia erogandi eleemosynas in pauperes parochianos, vel benefaciendi suæ ecclesiæ, ut tenetur. Pontas.

CASUS VIII. Flavianus parochus annos septuaginta octo ætatis numerans, Beneficio suo per triginta quinque annos administrato, jam a sex mensibus non potest amplius vacare functionibus suis; offert itaque Norberto resignationem parochiæ sub annua pensione 175. florenorum, addita quoque conditione, ut solutionem hujus pensionis pro primo anno anticipet mox adita possessione Beneficii; licet omnes parochiæ redditus ultra 450. florenos non ascenderent. Acceptat Norbertus sub his conditionibus resignationem Flaviani cum proposito etiam donationis gratuitæ 50. florenorum eidem faciendæ. Interrogat jam, an sic agere possit tuta conscientia.

E 5

ꝑ.

§. Primæ duæ conditiones, sub quibus Flavianus inteadit resignare, debent exprimi in supplicatione ad Papam, qui facile consentiet; hujus obtento consensu poterit tuto acceptare resignationem, & Flavianus etiam admittere donationem gratuitam 50. florenorum; dummodo promissio hujus donationis non fuerit facta ante admissam resignationem, aut sive expresse sive tacite in pactum deducta, quod foret simoniacum. *Pontas.*

CASUS IX. Heraclides parochus Titio debebat annuam pensionem 150. florenorum ex resignata sibi sub hac reservatione parochia; dilata vero ultra annum solutione mortuus est. Titius jam petit solutionem hujus pensionis a Joanne, qui in Curia de hoc Beneficio fuit provisus *per lobitum*, & quidem intentata ipsi actione judiciali. An jure Titius convenit Joannem de hac solutione?

§. Juxta Cabassutium Jur. Can. Theor. & prax. L. 2. c. 14. n. 13. Titius nullum habet jus exigendi a Joanne solutionem relicti ab Heraclide debiti: non est enim par ratio inter illum, qui succedit in Beneficium, & inter novum possessorem fundi; cum successor in Beneficio non intret jure proprietatis & successionis. Et aliunde etiam onus per pensionem Beneficio impositum non est pure reale, sed mixtum, id est, partim personale & partim reale, ad quod debitor non tenetur, nisi qua possessor. Titius igitur solum habet recursum adversus hæredem Heraclidis, & non adversus successorem illius. *Pontas.*

CASUS X. Gellius possidens parochiam, cujus redditus deductis omnibus deducendis conficiunt 1250. florenos, permutat cum Leufrido, cujus parochiales redditus sunt 1000. floreni; sed ea conditione, ut Leufridus annuatim ipsi solvat pensionem 125. florenorum. Potestne salva conscientia sibi reservare hanc pensionem Gellius ex hac sola ratione, quod parochia, quam cessurus est Leufrido, sit pinguior ea, quam ipse occupaturus est?

§. Verum est, inter causas legitimas constituendi pensionem in Beneficio, numerari etiam hanc juxta dicta ad cal. 3., ut saltem ex parte fiat æqualitas inter Beneficium nimis tenue & notabiliter pinguius, sive dein fiat resignatio sive permutatio. Hæc autem causa absolute applicari non potest in casu præsentis. Nec patrocinator Gellio speciosus prætextus abundantiores elargiendi eleemosynas: id enim etiam Leufridus faciet; aut si Gellius tantum fiduciæ in eo poni non posse existimet, ut indignum habere debeat, quocum inerat permutatio. Nullum sane motivum reperire erit, ex quo cohonestari

stari posset hæc reservatio. Hinc peccaret Gellius, peccaret & Leufridus sub hac reservatione permutantes; imo peccaret ipse Pontifex in hoc casu provisiones concedendo, & Episcopus vitiosam hanc permutationem admittendo. *Pontas.*

CASUS XI. Onuphrius parochus permutavit parochiam suam, reservata sibi pensione 100. florenorum, cum alterius sacerdotis parochia, quæ duplo minores profert redditus; & hæc permutatio facta est intra manus Episcopi diocæsani. Estne canonica pensio hujus creatio?

§. Jus antiquum permittit quidem Episcopis facultatem constituendi pensiones in Beneficiis, quorum Titulares erant possessores pacifici; sed summi Pontifices jam præscripserunt hoc jus contra Episcopos. *Non est prohibitum jure Episcoporum imponere pensiones*, inquit Toletus Instruct. sacer. L. 5. c. 20. n. 2. *ob consuetudinem tamen & communem stylum Romanæ Curie, si quis sine Pontificis summi facultate pensiones haberet, simoniacus esset.* Unde concludendum est, pensionem autoritate solius Episcopi diocæsani in favorem Onuphrii constitutam non esse canonicam, & consequenter nullius emolumentum. *Pontas.*

NOTA. Episcopus ex justa causa imponere potest pensionem temporalem, non vero perpetuam, sicut Papa.

CASUS XII. Odo in familiari conversatione dixit Bernardo Canonico Olomucensi, si quispiam sibi resignaret Canonicatum hujus ecclesiæ, persoluturum se illi bonam pensionem, jamque paratos sibi esse mille florenos ad pensionem hanc in continendi redimendam. Bernardus nihil dubitans, serio loqui Odonem, quadriduo elapso ipsi offert suum Canonicatum sub pensione 200. florenorum, caute tamen dissimulans mentionem facere de redemptione pensionis, quam sperat. Odo, qui discursu supra relato omnino intendebat inducere Bernardum ad resignandum Beneficium, gratam habet oblatam sibi resignationem, obtinet provisiones, & post dies quindecim in forma consueta pensionem redimit, 800. thaleris Bernardo numeratis. Quæritur, an pensio hæc a Papa constituta, & interveniente ipsius autoritate redempta in rigore sit canonica; & an Bernardus ea frui possit.

§. Certum est, pensionem hanc non esse legitimam, & Bernardum nec ejus solutionem exigere, nec ejusdem redemptionem acceptare posse. Interventit hic tam ex parte resignantis, quam ex parte resignarii simonia tacita; & ambobus rei simoniæ realis palliatæ sub apparentia pensionis.

*Quam.*

*Quamvis postea possit redimi pensio*, ait Toletus l. c. l. 5. c. 29. n. 1. *non tamen potest resignari Beneficium cum pacto redemptionis hujus.* Pontas.

CASUS XIII. Licinius presbyter canonice possidet Prioratum a quadam Abbata regulari avulsam ac secularisatum. Promittit autem Religiosis Abbatiæ, se illis redditurum hunc Prioratum, ut ad regularis Beneficii statum redeat, si pinguem ipsi pensionem constituent. Potestne percipere ac retinere hanc pensionem?

q. Si pensio ista fuerit creata in curia Romana, si ea indigeat pro sua sustentatione, si de cætero sit subjectum dignum, ac suis servitiis Beneficio aut Ecclesiæ præstitis eandem promeruerit, licite eam percipit, ut S. Beuve docet tom. 3. cap. 128. Pontas.

CASUS XIV. Richardus Franciscus resignavit Ecclesiæ Cathedralis Decanatum, quem a tricennio abhinc possidebat, cujusque redditus tam in fructibus grossis quam distributionibus quotidianis 1000. florenos ipsi præbebant. Resignatio continet pactum reservationis omnium fructuum; & Papa, cui resignans in sua supplicatione omnem rei veritatem fideliter exposuit, ex causa gravissima consensit in hanc pensionem, & provisiones concessit. Potestne Richardus absque scrupulo frui hac pensione, non obstante, quod resignatarius comminetur, imploratum se desuper officium judicis?

q. Reservatio omnium fructuum damnatur ab Innocentio III. Cap. *Ut nostrum*. unic. l. 3. Tit. 12. licet hic ipse Pontifex eam excuset in certis casibus *ad tempus pro causa justa & necessaria.* Pontas.

CASUS XV. Vinnius ecclesiæ collegiæ ab annis viginti canonicus præbendam suam 300. florenorum resignavit Josepho, reservatis sibi 25. florenis solvendis ex fructibus Beneficii, qui solum consistebant in distributionibus quotidianis & manualibus, absque ullis grossis. Josephus possessionem Beneficii adeptus nunquam in eo resedit. Videns ergo Vinnius, Josephum solvendæ pensioni imparem fore, ad obtinendam solutionem convertit se ad Capitulum, cujus Canonici percipiunt, ac inter se partiuntur omnes distributiones etiam absentibus destinatas, ex quibus Josepho quoque æqua portio cederet, si in Beneficio resideret, & Officio divino ac horis canonicis interesset. Canonici autem recusant solvere hanc pensionem. Possuntne persistere in sua tergiversatione, maxime cum sciant, Vinnium non nisi ex hac pensione posse subsistere?

q. Sunt magni nominis Authores, qui tuentur, Capitulum teneri ad solvendam hanc pensionem, fundantque suam sententiam in duobus Rescriptis, scilicet Gregorii XIII. & Clementis VIII., qui in simili casu Capitulum condemnarunt ad solutionem. Hoc tamen non obstante videtur opposita sententia magis fundata & æquitati conformior. Hinc dicendum, Canonicos non obligari ad solutionem; Rescriptum enim, per quod Vinnio constituta fuit hæc pensio, non nisi Josephum obligat, ejusque in Beneficio successores. Canonicis imputari non potest, quod Josephus non resideat; nec aliter lucrantur distributiones, quas ille amittit, quam jure priorum suorum Beneficiorum, & nullatenus titulo præbendæ Josephi. Si hic etiam actualiter resideret, ex negligentia tamen chorum non frequentaret, nisi rarissime, Capitulum certe non obligaretur ad suppleendum defectum pensionis Vinnio debitæ: quare ergo obligetur in casu præsentem? Tandem etiam falsum est, hanc pensionem esse pure realem; quinimo est tantum personalis, aut ad summum mixta, Josepho tantum ejusque successoribus incumbens. Pontas. Vide *Distributiones quotidianæ*. cap. 2. & 5.

CASUS XVI. Eudisius resignavit Petro 2. Januarii suum Beneficium, quod non alios proventus nisi ex solis frumentis præbebat, sub pensione 100. florenorum. Cum vero durante hyeme omnino perierint semina, & Petrus nec pro sua ipsiusmet sustentatione sat frumenti obtinuerit, quæstio est, an teneatur pro eo anno Eudisius solvere 100. florenos ex pacto debitos.

q. Non tenetur; quia Beneficium eo anno sufficientes fructus non protulit, & quidem absque ulla Titularis culpa. *Est namque pensio*, inquit Sylvius resol. var. V. *Beneficium portio quædam fructuum seu proventuum Beneficii. Illo igitur tempore, quo Beneficium non præbet proventus, cessat obligatio solvendi pensionem.* Pontas.

CASUS XVII. Michael per quindecim annos parochus Beneficium suum in Normannia situm resignavit Theophilo cum onere pensionis 150. florenorum; cujus possessionem resignatarius post sex septimanas adeptus est. Elapso primo anno pensionem suam petit Michael; sed reposuit Theophilus, eam pro primo anno exigi non posse; eo quod fructus ac redditus beneficiales primi anni in Normannia pertineant ad Episcopos vel Archidiaconos jure reservationis. Jurene pensionem negat Theophilus?

q. S. Beuve tom. 2. caf. 161. fatetur, magnam esse abufum, ut Beneficiatus adstringatur ad folvendam penfionem, dum nondum ipfi licet percipere fructus, putatque non esse iuftum, ut illi, penes quos est emolumentum percipiendi fructus groffos, eisdem capiant, antequam penfio resignanti debita perfoluta fit. Quantum ad jus refervationis attinet, illud certe non ignoratur a resignantiis. Ad hos ergo pertinet pacifci, quandonam penfio folvenda fit. Si jus refervationis fructuum primi anni ab Epifcopis aut Archidiaconis ita urgeretur, ut novo parochio nihil relinqueretur ultra præciffe neceffaria ad fuffentationem, revera non teneatur in confcientia primo anno folvere pactam penfionem. Pontas.

Vide *Annatæ dicefanæ*.

CASUS XVIII. Philologus Benedictinus non reformatis, cui post introductam in fuum monafterium reformationem, vi concordatorum inter Religiofos reformatos & non reformatos initorum, assignata fuit penfio vitalitia 250. florenorum ex bonis communibus monafterii perfolvenda, ab Epifcopo dicefanæ, obtenta difpenfatione Pontificia, fuit inftitutus in parochia a monafterio independente reddituum 1000. florenorum. Potestne abhuc exigere penfionem fuam vitalitiam, licet in fuo haud amplius refideat monafterio?

R. Plures rationes evincunt, quod ultra non poffit exigere hanc penfionem, inter quas est hæc: penfio monachalis folis tantum debetur Religiofis; qui actu vivunt in monafterio, ex quo penfionem percipiunt, & qui tanquam profefii domus in eadem vivunt juxta constitutiones & regulam Ordinis. Neque, dum abfunt a conventu, fortius jus habent fuis fruendi penfionibus, ac Canonici fructibus fuarum præbendarum, dum actu non refident. *Licet monachus & Regularis poffit habere unum Beneficium regulare*, inquit Rebuffus Prax. Benef. part. 2. §. 8. *tamen duo habere non poffit, ne quidem capellam vel penfionem aut portionem monachalem cum Beneficio.* Pontas.

CASUS XIX. Lucas & Remigius difceptabant de eodem Beneficio, caufaque ad forum contentiofum deducta jura utriusque videbantur æqualia. Compromittunt ergo componendæ litis gratia in arbitrum bonæ fidei, & abfque omni collatione. Sententia arbitri erat, ut Lucas jus fuum cedat Remigio cum refervatione penfionis 150. florenorum, id quod a partibus mutuo confenfu probatum, & executioni man-

mandatum fuit. Potestne Lucas ex hac fola ratione tuta confcientia frui hujusmodi penfione?

R. Tuta id potest confcientia: penfio enim ifta conftituta fuit intuitu boni, quod inde redundaturum est in Ecclefiam ex pace inter hos duos clericos refituta; dummodo tamen i. penfio approbata fuerit a fummo Pontifice juxta Cap. *Nifi effent.* 21. Lib. 3. Tit. 5. 2. Ut remaneat Remigio, unde honefte vivere poffit. 3. Ut penfionarius revera indigeat refervata fructuum portione, & non aijunde fufficientia habeat media ad honeftam fuffentationem. Pontas.

NOTA, Cum hæc penfio non fundetur in contraftu, fed in iaudio arbitri, videtur fufficere ratihabitio Epifcopi. Vide caf. 32.

CASUS XX. Stanislaus Abbas in Polonia fuit nominatus ad Epifcopatum, confentiendo in penfionem 500. florenorum ex Abbatia in favorem cujusdam Stephani perfolvendorum; quæ tamen penfio folummodo fuit conftituta per diploma Regis pure ac fimpliciter fignatum, ut fert antiquiffima confuetudo regni. Consecratione fufcepta per tres annos continuos penfionem folvit Stephano. Potuitne fic agere Stanislaus abfque fimonia? Hujusmodi penfiones approbatæ per confuetudinem generalem ac immemoriam totius regni Poloniæ, funtne legitimæ? Et quidnam demum faciendum huic Epifcopo ad tranquillandam confcientiam fuam?

R. Certum & evidens est, quod omne pactum vel conventio in materia Beneficiorum, deftituta approbatione fummi Pontificis, fit fimoniaca; & hinc Stanislaus non potuit acceptare Epifcopatum cum conditione folvendi penfionem 500. florenorum in favorem Stephani, nifi diploma regium fuerit ratificatum & approbatum a Papa. Tantumque abest, ut liceat ipfi folvere penfionem, ut eandem teneatur etiam conftanter recufare, donec Stephanus acquirat titulum canonicum ipfam percipiendi: nec denique folvat, nifi ad hoc fuerit coactus per fententiam definitivam contra fe latam, a qua appellare ultra non liceat. Interim debet recurrere Romam, ut autoritate Pontificia, quantum opus est, revalidetur ipfius titulus, condonentur fructus tum ii, quos licet alias fibi debitos nondum percepit, tum etiam quos jam perceptos quidem nondum tamen confumpfit, deturque facultas Stephano imposterum penfiones folvendi. Ita S. Beuve tom. 3. caf. 71. Pontas.

CASUS XXI. Zephyrinus Clericus tonsuratus ex Prioratu reddituum 1500. florenorum, quem possidebat, retinuit sibi pensionem 500. florenorum in Curia admissam & approbatam, ac paulo post militiæ nomen dedit, obtento in castris munere iudicis civilis & criminalis militum. Amisitne per hanc status mutationem pensionem suam?

ꝛ. Omnis pensio in Beneficio constituta ex natura sua est ecclesiastica, & necessario supponit tonsuram, quæ est aliquid spirituale. Rescripta ex curia impetrata semper supponunt, impetratem esse Clericum; sic enim inscribuntur: *N. Clerico diæcesis N. & quidem etiam ad eos, qui necdum in majoribus Ordinibus sunt constituti, & cum decreto, quod, si ipse & quamdiu pensionem huiusmodi perceperit, in habitu & tonsura clericalibus incedat. Alias pensio cesset eo ipso.* Hinc ille, qui est inhabilis ad possidendum Beneficium, inhabilis quoque est ad percipiendam ecclesiasticam pensionem; sicque Zephyrinus non potest frui reservata sibi pensione 500. florenorum. *Pontas.*

CASUS XXII. Andreas debet Ambrosio pensionem 150. florenorum ex fructibus parochiæ 600. florenos proferentibus, quam hic illi ante sex annos resignaverat. Potestne Andreas absque læsione conscientiæ extinguere aut redimere hanc pensionem propria autoritate & sine dispensatione Pæpali?

ꝛ. Juxta sententiam Fagnani, Navarri, Flamini, Rebuffi, Forgeti & plurimorum insignium Canonistarum absque peccato non potest Andreas extinguere aut redimere pensionem, quin interveniat autoritas Pontificis. *Pontas.*

CASUS XXIII. Chrysanthus parochus a quinquennio vel sexennio portat onus pensionis 150. florenorum, quam Cornelius resignans parochiam sibi reservaverat. Hujus oneris pertæsus pro pensione hac offert Cornelio Capellam, cujus redditus sunt 100. floreni; qua conditione accepta Cornelius pro provisione sollicitat, eaque impetrata pensioni renunciat. An hæc conventio sine omni nævo est?

ꝛ. Conventio hæc est simoniaca: pensio enim non est Beneficium, sed tantummodo jus percipiendi ad tempus, id est, quamdiu pensionarius vixerit, aut jure suo non exciderit alia ratione, aliquam portionem ex fructibus Beneficii resignati, penitus separatam a titulo Beneficii. Pensio non est perpetua, sicut Beneficium; cum omnino extinguatur per mortem pensionarii. Ad constituendam pensionem non requiritur institutio canonica, prout tamen requiritur ad legitime possidendum Beneficium; cum sola conventio resignantis

nantis & resignarii a Pontifice approbata sufficiat, ut quis frui valeat pensione. Ad hoc pensio gratuito ac liberaliter condonari ac remitti potest debitori, quin exigatur auctoritas Superioris; cum tamen Beneficium in solas legitimi Superioris manus aut cum auctoritate ipsius dimitti debeat. Denique pensio in parochia aut quovis alio Beneficio non obligat ad residentiam, nec ad alias functiones ecclesiasticas; quod tamen dici nequit de Beneficio. Igitur essentialis utrinque datur differentia. Unde concludendum est, pensionem nunquam extinguí posse per resignationem Beneficii; quia hoc esset dare rem spiritualement aut spirituali annexam pro re temporali, pretio pecuniario æstimabili, & quæ revera redimi potest soluta summa, de qua cum approbatione Pontificis convenitur. *Pontas.*

CASUS XXIV. Volusianus in quodam Beneficio pensionem habet 300. florenorum. Teneturne in conscientia recitare Officium Breviaril, & gestare tonsuram ac habitum clericalem?

ꝛ. Tenetur solum recitare Officium parvum B. Virginis ex præcepto Bullæ Pii V. *Ex proximo* de anno 1571 ubi ait Pontifex: *Quicumque pensionem, fructus aut alias res ecclesiasticas ut Clericus percipit, eum modo prædicto ( id est, sub pœna restitutionis ) ad dicendum Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, verumque ipsarum amissioni obnoxium.* Ad tonsuram vero & habitum clericalem strictissime obligatur, ut expresse statuitur in Bulla Sixti V. *Cum sacrosanctam.* anni 1589. *Pontas.*

NOTA. In Bulla Pii V. notanda sunt verba: *ut Clericus.* Si enim annua pensio tribuitur v. g. ædituo, organædo, aut aliis ministeriis de se profanum ecclesiæ exhibentibus, pensionarii isti non obligantur ad Officium parvum.

CASUS XXV. Placidus Clericus tonsuratus, illustri profapia genitus, nullumque habens Beneficium, obtinuit pensionem 1500. florenorum ex quodam Archiepiscopatu sibi persolvendorum. Hic parsimoniali sua industria ultra necessaria pro sua sustentatione quotannis 500. florenos sibi comparavit. Potestne de hac summa disponere pro suo arbitrio? An vero tenetur bona hæc parsimonialia erogare in causas pias, ecclesiam vel pauperes?

ꝛ. Cum nulla intercedat differentia inter bona ex Beneficio & pensione parta, utpote æqualiter ecclesiastica & consecrata Deo, Placidus non potest tuta conscientia bona hæc parsimonialia pro suo arbitrio impendere in usus profanos, *Dist. Cas. Cons. Tom. III.* F sed

sed tenetur ea conferre in sublevamen pauperum aut necessitates ecclesie, vel in quascumque alias causas pias vergentes ad gloriam Dei aut salutem proximi. *Pontas.*

CASUS XXVI. Mauritius habet pensionem 200. florenorum ex quadam Abbatia; sed propter commissum furtum damnatus est ad perpetuas triremes. Teneturne Abbas in conscientia continuare solutionem constitutæ ipsi pensionis?

R. Pensio, extinguitur æque per mortem civilem ac naturalem pensionarii; & per hanc damnationem Mauritius indubitato civiliter mortuus est, ac omni jure clericali excidit. Idem dicendum de Clerico pensionario, qui in hæresin aut crimen læsæ majestatis prolapsus est aut aliud, in quod jura statuunt privationem Beneficiorum & pensionum ecclesiasticarum; ac denique de illo, qui per professionem religiosam sæculo mortuus est. *Perimitur pensio*, ait Caballus Jur. Can. Theor. & prax. L. 2. c. 4. n. 16. *capitis diminutione pensionarii; quia pensio beneficiaria est jus spirituale & clericale . . . Extinguitur pensio per delictum hæresis, læsæ majestatis aut Sedis Apostolicæ; per matrimonium, aut per professionem Religionis.* Hinc Abbas non debet ipsi ultra solvere pensionem. *Pontas.*

CASUS XXVII. Priamus per quatuordecim annos parochus cum Canonicatum obtinisset, ex cujus redditibus honestissime vivere posset, resignavit parochiam, reservata sibi pensione, quæ & a Pontifice fuit approbata. Tutane conscientia hanc pensionem percipit?

R. Pontifex, cum bonorum ecclesiasticorum absolutus Dominus non sit, sed solum dispensator, non nisi ex causis legitimis, Ecclesieque bonum spectantibus pensionem in Beneficio creare potest: in dictæ autem pensionis gratiam nulla legitima causa, quæ Ecclesie bonum respiciat, afferri potest. Hinc reservatio Priami est evidenter injusta, teneturque omnia hucusque percepta restituere: bona enim parochialia eo tantum spectant, ut deserviens parochie sustentetur, quod autem superest, in eleemosynas, aliaque pietatis & charitatis opera conferatur; quamvis fatendum sit, pluralitatem Beneficiorum adhuc esse pejorem, quam Beneficium se solo sufficiens ad congruam sustentationem una cum pensione ex alio Beneficio. *Fromageau.*

CASUS XXVIII. Lysias Clericus nunquam hæctenus ullum Ecclesie præstitit servitium, nec modo præstat; imo oppido negligenter decurrit Officium B. Virginis. Nullum possidet talentum vel alias dotes, ex quibus sperari posset,

enm

eum cum tempore utiliter servituum Ecclesie. Potestne hic bona conscientia retinere pensionem ex Beneficio quocumque, maxime curato?

R. Peccat ejusmodi Clericus petendo pensionem, & magis peccat eam retinendo. Nec Papa potest eam ratihabere absque peccato dilapidationis bonorum ecclesiasticorum: hinc ea pro sub- & obreptitie obtenta habenda est; maxime si sit constituta in Beneficio curato, quæ Beneficia minus pensionibus onerari debent, ac alia non curata. *Fromageau.*

CASUS XXIX. Kisius Canonicus Cathedralis & Cuius, cum assumptus fuisset ad Decanatum, cujus redditus annui 2500. floreni, præbendam Thesaurarii seu Custodis resignavit alteri, reservata sibi pensione 1200. florenorum. Estne legitima hæc pensio?

R. Non potuit exigere hanc pensionem, teneturque ad restitutionem perceptorum. Papa, qui eam ratam habuisse supponitur, est tantum dispensator bonorum Ecclesie, neque potest absque ulla causa legitima permittere, quod lege divina & naturali prohibitum est; adeoque impetrata dispensatio est irrita. *Fromageau.*

CASUS XXX. Titius cum Cajo permutavit Canonicatum, cujus redditus annui 500. floreni, a quo vicissim recipit Beneficium Capellæ 40. florenorum, & pensionem 200. florenorum. Sunne ambo securi in conscientia?

R. Juxta quosdam Authores non potest Beneficiatus absque simonia stipulari sibi pensionem, quæ excedat tertiam partem reddituum Beneficii; estque taliter stipulata pensio reducenda ad partem tertiam. Caju peccavit promittendo pensionem tertiam partem reddituum excedentem. Interea licet absolute certum non sit, ambos incurrisse aliquam censuram; nihilominus pro majori securitate utrique Romanam recurrendum est pro impetranda a summo Pontifice rehabilitatione. *Fromageau.*

CASUS XXXI. Sempronius in ecclesia Collegiata Beneficium Capellæ possidet oneratam pensione 50. florenorum Petro solvenda, quod modo resignare intendit Joanni sub his conditionibus. 1. Ut Joannes sibi solvat 10. florenos ultra pensionem Petro debitam. 2. Ut creationem pensionis suis impensis procuret. 3. Ut pensionem solvat ante tempus & pro securitate ejusdem cautionem præstet. 4. Ut post mortem Petri sibi præter 10. florenos etiam solvantur illi quinquaginta Petro constituti. Quid sentiendum de his conditionibus?